

provenire afferunt, clarè depingit Pergamenus (x) his verbis. (x) in aph.
Cum in nullo horum (neque in gutture neque in faucibus) appa- Hipp. com.
ruerit tumor, neque ore aperto in faucibus, neque extrinsecus, homi- 4. aph. 35.
nem verò contigerit non posse devonare, symptomā est lethale, contin-
gens ex inflammatione, quandoque muscularum gulam munientium,
quandoque verò gulæ ipsius: est cuim quedam communio partibus
istis per ligamenta ac nervos cum medullâ spinali, & membranis ipsam
ambientibus, ac præterea ossibus vertebrarum, quæ bis extrinsecus.
Extensis itaque ad partes inflammatas ligamentis & nervis, trahi
vertebras vel intus, vel ad latus, est necessum: si quidem in alterâ ner-
vipropagine fieri tensionem contigerit ad latus, si verò in ambabus,
extra. Conferatur Zaccetus Lusitanus (y). (y) lib. 8. c. 2.

§. 7. Est autem hæc ex luxatione vertebrarum colli angina rara, & vix occurrit nisi in tenerâ cervicē præditis, ut in infantibus & pueris, quando durius à nutricibus tractantur. Imò si rem exactius perpendamus, vix videtur ejusmodi luxatio novam anginæ speciem constituere, cum sine inflammatione muscularum gutturis vel faucium fieri nequeat: erit itaque aut minus propria censenda differentia, aut ad priores reduci poterit.

§. 8. Sunt & aliæ differentiæ Medico pensitandæ, & quidem ratione magnitudinis, ubi alia inflammatio est major, alia minor, indeque periculum majus vel minus expectandum: quò enim major fuerit inflammatio, major compressio, & magis præceps suffocationis periculum metuendum, unde ad prædicendam mortem, & ad curationem extremam cum periculo suscipiendam Medicus adducetur, quemadmodum contrà si minor fuerit inflammatio, minus quoque præcipitanter & dubiè res peragenda.

§. 9. Ratione causarum internarum alia oritur à sanguine sincero, in primis in corporibus plethoricis, alia à bilioso humore, alia à pituitâ, alia à Melancholia, quæ tamen raro contingit. Quæ à sanguine puro & bilioso provenit exquisita vocatur, quæ verò à pituita & melancholia, spuria & minus exquisita.